



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Disputationes|| ROBERTI BELLAR-||MINI E SOCIETATE  
IESV,|| DE CONTROVERSIIS CHRISTIANAE|| FIDEI,  
ADVERSVS HVIVS TEM-||poris Hæreticos,||**

Tribus Tomis comprehensæ.||

DE SVMMO PON=||TIFICE,|| QVINQVE LIRBRIS|| EXPLICATA.||

**Bellarmino, Roberto Francesco Romolo <Heiliger>**

**Ingolstadii, [1599]**

**VD16 B 1607**

Cap. I. Proponitur Disputatio de Antichristo.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-53860](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-53860)



LIBER TERTIVS  
DE SVMMO  
PONTIFICE.

## CAPVT PRIMVM.

*Propositur disputatio de Antichristo.*

**D**EMONSTRAVIMVS HACTENVS, Romanum Pontificem Petro succedere in summo totius Ecclesie principatu. Restat verum scire, num aliquo tempore Romanus Pontifex ab isto gradu exciderit; id enim admodum contendunt, non esse hoc tempore Romae verum Episcopum quicquid antea fuerit. Et quidem NILVS ad finem illius contra primatum Romani Pontificis ita loquitur: *Scilicet, quia ma caputque mei sermonis illa sit, et donec Papa in Ecclesia uenientem, olimque institutum ordinem seruat; donec ueritatem caelestem tenet, ac tuetur, et donec Christo summo in Ecclesia Domino et capiti adheret, facile patiar eum etiam put Ecclesiam esse et summum Sacerdotem, et Petri, scilicet etiam si libet omnium Apostolorum successorem esse, omnes ei obedire, ac nihilo id quod ad eius honorem pertinet diminui: sed si a ueritate discessit, nec ad eam redire uult, merito pro damnato reiectoque haberi debet. Hac ille.*

Sed debuisset ostendere, in quos errores incidissent Romani Pontifices; et quando, et a quibus damnati fuerint. Videmus enim in Concilio generali Lateranensi sub Innocentio III. & Lugdunensi sub Gregorio X. & Florentino sub Eugenio IV. Græcos erroris conuictos ad fidem Latinorum reuertisse, ac deinde ad vomitum suum semper esse reuersos, ac propterea à Deo grauissimè punitos: Latinos autem ad fidem Græcorum uenisse nusquam legimus. Nec ullum profectum pontificem

potest Ecclesiasticum iudicium contra Latinos, vt nos profirimus multa contra Græcos.

Iam verò CALVINVS lib. 4. Instit. cap. 7. §. 23. *Sint*, inquit, vera illa omnia, qua tamen illis iam extorsimus; Petrum voco Christi constitutum fuisse vniuersa Ecclesia Caput, ipsumq; honorem sibi collatum in Romana sede deposuisse, id veteris Ecclesia auctoritate fuisse sancitum, longo vsu confirmatum, Romano Pontifici summam potestatem fuisse semper ab omnibus debitam, ipsumq; fuisse omnium & caussarum & hominum iudicem, nullius iudicio subiectum fuisse; habeant etiam plura si velint. Respondeo tamē vno verbo, nihil istorum valere, nisi Roma sit Ecclesia & Episcopus. Et infra §. 24. Hunc nodum mihi soluant Romanenses, nego ipsorum Pontificem esse Episcoporum Principem, cum non sit Episcopus. Et infra: Fuerit sanè olim Roma omnium Ecclesiarum mater: Verum ex quo Antichristi sedes fieri cœpit, desit esse id quod erat. Et infra §. 25. Videmur nonnullis nimis maledici ac petulantes cum Romanum Pontificem vocamus Antichristum: sed qui hoc sentiunt, non intelligunt se Paulum immodestia insimulare, post quem nos loquimur, immò ex cuius ore sic loquimur. Ac ne quis obiiciat nos Pauli verba, qua aliò pertineant, perperam torquere in Romanum Pontificem, breuiter ostendam non aliter, quàm de Papatu intelligi posse. Hæc ille.

Similia docent omnes hæretici huius temporis; ac præcipuè LUTHERVS in supputatione temporum, & in assertione artic. 28. & 36. & alibi passim. Item Magdeburgenses Centur. i. lib. 2. cap. 4. colum. 434. & sequentibus, & in omnibus sequentibus Centuriis, cap. 4. 7. & 10. Illyricus in libro de Primatu. David Chytræus in caput 9. & 13. Apocalypsis. Item Wolfgangus Musculus in locis communibus, titulo de Ecclesia. Theodorus Beza in commentario 2. Thessal. 2. Theodorus Bibliander in Chronico tab. 10. 11. 12. 13. & 14. Henricus Pantaleon in Chronologia. Henricus Bullingerus, præfatione in suas homilias ad Apocalypsim, & ante hos omnes Ioannes Wiclef artic. 30. inter eos qui damnantur in Concilio Constantiensi, sess. 8. Pontificem esse Antichristum, pronunciauit.

Vt igitur quæstio hæc diligenter explicetur, nouem capita tractanda erunt. Primum de ipso nomine Antichristi.

II. A. 3

II. An Antichristus sit vnus homo, an genus hominum. III. De tempore aduentus & mortis eius. IV. De nomine eius proprio. V. Ex qua gente nasciturus sit, & à quibus præcipue sciendus. VI. Vbi sedem suam fixurus. VII. De doctrina moribus eius. VIII. De miraculis eius. IX. De regno & proliis eius. Ex his enim omnibus clarissimè apparebit, quam impudentia hæretici Pontificem Romanum Antichristum faciant; quibus addemus caput, quo probabimus, Romanum Pontificem non solùm non esse Antichristum; sed nec vltimo modo defuisse esse Episcopum & pastorem totius Ecclesie: nihil remaneat non dilutum ex obiectionibus Caluini.

Quod ad PRIMVM attinet, aliqui ex aduersariis doctorum nomen Antichristi propriè significare Christi Vicarium: & proinde Papam, qui se Christi Vicarium asserit, ipsum esse Antichristum. Ita docet Wolfgangus MVS CVLVVS in loci capite de potestate ministrorum: & probat, quia illa vox ἀντι σημαίνει Vice, vnde ἀντίχειρ Ⓞ est vice Christi, sicut ἀντιπραπηγὸς σημαίνει eum, qui pro Duce se obtrudit; id est, qui Vicarius Ducis vult haberi. MAGDEBURGENSES in Cent. I. lib. 2. cap. 4. colum. 435. docent, Papam ideo verum esse Antichristum, quia se Christi Vicarium facit.

At sine dubio falluntur, vel fallere conantur. Nomen enim Antichristi, non potest vlllo modo significare Vicarium Christi; sed solùm aliquem Christo contrarium: & contrarium in quomodocunque, sed ita, vt cum eo de sede & dignitate Christi certet; id est, qui sit æmulus Christi, & velit haberi Christus, deiecto eo qui verè est Christus.

Hanc esse huius nominis significationem, probatur tripliciter. PRIMO, quia apud Græcos illa vox ἀντι, propriè significat oppositionem. & quoniam opponi dicuntur non solùm ea, quæ pugnant inter se; sed etiam ea, quæ æquipollent: vnde factum est, vt ἀντι in compositione interdum significet contrarietatem, interdum æquivalentiam; nunquam autem subordinationem: vt patet in exemplis omnium talium nominum; ἀντίπαλος, significat æmulum in lucta; ἀντίδοτον, contrarium remedium; ἀντίφρασις, contrariam loquutionem; ἀντίστροφος, æquivalentem; ἀντίθεος, æqualem Deo; ἀντίθετος, et

est pollex, quia è regione opponitur, & æquivalet toti reliquæ manui; & sic de ceteris. Vicarius autem non significat oppositionem, sed subordinationem ad aliud; & ideo non potest exprimi per vocem ἀντι.

Porro illud ἀντισπατηρός, non significat Vicarium Ducis, sed ordinariè contrarium Ducem; sicut ἀντισπατένομαι, est bellum infero, & interdum eum qui est loco Ducis, non ut illi subiectus, sed ut æqualis; quomodo apud Latinos Proprætor, vel Proconsul, nõ significat Vicarium Prætoris, vel Consulis, sed eum qui est in aliqua prouincia, id quod est Prætor, vel Consul in vrbe. & in hoc deceptus est Musculus; quia enim legit apud Budæum ἀντισπατηρός significare Proprætorem, putauit ipse significare Vicarium Prætoris: quod est falsum.

SECUNDO, idem probatur ex Scriptura. Nam etiam si hoc nomen esset ex se ambiguum; tamẽ vt in Scriptura accipitur, non est ambiguum: & nostra quæstio non debet esse de voce ἀντίχεις ⊙ absolutè, sed vt in Scripturis accipitur. Porro in Scripturis Antichristus dicitur is, qui extollitur super omne, quod dicitur Deus, 2. Thessal. 2. quod certè non est, esse Vicarium, sed hostem Christi veri Dei. Et 1. Ioan. 2. Antichristus dicitur esse is, qui negat Iesum esse Christum, id est, qui negat Iesum esse Christum, vt seipsum pro Christo venditet. Et Matth. 24. Antichristus dicitur affirmaturus se ipsum esse Christum; quod sanè non est Vicarij, sed æmuli.

Denique TERTIO, ex omnibus auctoribus, qui de Antichristo scripserunt; & ex communi sensu omnium Christianorum, qui per Antichristum intelligunt eximium quendam Pseudochristum. Quomodo etiam exponit hanc vocem ex veteribus Græcis, Damascenus lib. 4. de fide, cap. 28. & eodem modo exponit Hieronymus ex Latinis, qui tamẽ etiam Græcæ linguæ peritissimus fuit, quæst. II. ad Algasiam.

Denique, similiter exponit in suo Thesauro linguæ Græcæ HENRICVS STEPHANVS, qui tamen vnus est de numero hæreticorum Geneuensium. Hinc habemus argumentum primum contra aduersarios. Nam cum Antichristi nomen significet hostem & æmulum Christi: & Romanus Pontifex se Christi famulum, & Christo subiectum in omnibus fateatur; non autem Christum se vllò modo esse dicat, neque illi

illi se parem faciat: manifestum est, cum non esse Antichristum.

## CAPVT II.

*Antichristum certum quendam hominem futurum.*

**A**M QVOD ad secundum attinet, nos cum aduersariis in vno conuenimus; in altero discrepamus. Conuenimus in eo, quod sicut nomen Christi accipitur dupliciter: interdum propriè pro quodam eximio & singulari Christo, qui est IESVS NAZARENVS; interdum communiter pro his omnibus, qui habent cum Christo similitudinem, quantum ad vnctionem; quomodo Prophetæ, & Reges, & Sacerdotes omnes dicuntur Christi, Psal. 104. *Nolite tangere Christos meos*: Ita etiam nomen Antichristi interdum accipitur propriè pro quodam eximio Christi hoste, de quo agitur 2. Thessal. 2. Ioan. 5. & alibi: interdum verò communiter pro omnibus, qui quoquo modo Christi oppugnant. Nam 1. Ioan. 2. legimus: *Audistis, quia Antichristus venit; & nunc Antichristi multi facti sunt*; id est, audistis venturum Antichristum; & nunc licet ille singularis Antichristus nondum venerit, tamen multi seductores iam venturunt, qui etiam Antichristi dici possunt.

At dissentimus de Antichristo propriè dicto; an ille sit vnus homo singularis. Catholici enim omnes ita sentiunt, fore Antichristum vnum quendam hominem: at hæretici omnes supra citati docent, Antichristum propriè dictum, non esse singularem personam, sed singularem thronum, siue regnum tyrannicum, ac sedem apostaticam eorum, qui Ecclesiæ præsidet.

MAGDEBURGENSES Centur. 1. lib. 2. cap. 4. colum. 45. Docent Apostoli, inquit, *Antichristum non fore vnam tantum personam, sed integrum regnum, per falsos Doctores in templo Dei; id est, in Ecclesia Dei præsidentes: in Vrbe magna; id est, in Romana ciuitate, opera Diaboli, & fraude, ac deceptione comparatum*. Hæc illi. Similia sunt apud alios supra citatos.

Ratio